



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

8 V. Christus fuerit tempore congruo natus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

13. orib. fid.
c. 13 in med.

P. p. q. 4.
art. 2. 3. & 4.

Sed contra est, quod sicut Damas. dicit in lib. 3. Ea quæ sunt nature, multiplicantur in Christo, & non ea quæ sunt persona. Sed filiatio maxime pertinet ad personam: est enim proprietas personalis, ut patet ex his, quæ in parte dicta sunt. Ergo in Christo est una tantum filiatio.

Respondet dicendum, quod circa hoc sunt diuersæ opiniones. Quidam enim attendentes ad causam filiationis, quæ est natiuitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut & duas natiuitates. Alij verd attendentes ad subiectum filiationis: quod est persona, vel hypostasis filij, ponunt in Christo vnā tantum filiationem, sicut & vnā hypostasim, vel personam. Vnitatis enim relationis, vel eius pluralitas, non attenditur secundum terminos, sed secundum causam vel subiectum. Si enim secundum terminos attenditur, oportet quod quilibet homo in se duas filiationes haberet: vnā, quæ referretur ad Patrem, & aliam quæ referretur ad matrem. Sed recte consideranti apparet eadem relatione referri vnumquemque ad suum Patrem, & matrem propter unitatem causæ: eadem enim natiuitate homo nascitur ex Patre, & matre, vnde eadem relatione ad vtrumque refertur. Et eadem ratio est de magistro, qui docet multos discipulos eadem doctrina: & de domina, qui gubernat diuersos subiectos eadem potestate: Si verd sint causæ diuersæ specie differentes, ex consequenti videntur etiam relationes specie differre, vnde nihil prohibet, plures tales relationes eidem inesse: sicut si aliquis est aliquorum magister in Grammatica, & aliorum in Logica, alia est ratio magisterij vtriusque, & idcirco relationibus diuersis vnus & idem homo potest esse magister, vel diuersorum, vel eorundem secundum diuersas doctrinas. Contingit autem quandoque quod aliquis habet relationem ad plures secundum diuersas causas: eiusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est pater diuersorum filiorum secundum diuersos generationis actus: vnde paternitas non potest specie differre, cum actus generationum sint idem specie. Et quia plures forme eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto: non est possibile quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum, generatione naturali. Scius autem esset, si esset pater vnus generatione naturali, & alterius per adoptionem. Manifestum autem est, quod non vna, & eadem natiuitate Christus est natus ex Patre ab æterno, & ex matre ex tempore, nec natiuitas est vnus speciei, vnde quantum ad hoc, oportet dicere in Christo esse diuersas filiationes, vnā temporalem, & aliam æternam. Sed quia subiectum filiationis non est natura, aut pars nature, sed solam persona, vel hypostasis: in Christo autem non est hypostasis, vel persona nisi æterna: non potest in Christo esse aliqua filiatio, nisi quæ sit in hypostasi æterna. Omnis autem ratio, quæ ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo æterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum: sicut in prima parte habitum est. Et ideo filiatio, quæ a Christo refertur ad matrem, non potest esse realis ratio: sed solum secundum rationem. Et sic quantum ad aliquid, vtriusque opinio verum dicit: nam si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas filiationes, secundum dualitatem natiuitatum. Si autem attendamus ad subiectum filiationis quod non potest esse nisi suppositum æternum, non potest in Christo esse realiter nisi filiatio æterna. Dicitur tamen realiter filius ad matrem relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Christum. Sicut etiam Deus dicitur dominus relatione, quæ cointelligitur reali relationi, quæ creatura subijcitur Deo. Et quamuis ratio dominij non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter dominus ex reali subiectione creature ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris, ex relatione reali maternitatis ad Christum.

P. p. q. 13.
art. 7.

In cer. art.

Ad primum ergo dicitur, quod natiuitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax. Quod quidem esse non potest, ipsum enim suppositum æternum non potest esse susceptivum reationis temporalis: ut dictum est. Nec potest dici,

quod sit susceptivum filiationis temporalis ratione humanæ nature, sicut etiam & temporalis natiuitatis: qui oportet naturam humanam aliquammodo esse subiectam filiationi: sicut est aliquammodo subiecta natiuitati: cum enim Æthiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Æthiops dens sit albedinis subiectum. Natura autem humana nullo modo potest esse subiectum filiationis: quia hæc ratio directè respicit personam.

Ad secundum dicendum, quod filiatio æterna non dependet à matre temporali: sed huic filiationi æternæ cointelligitur quidam respectus temporalis dependens à matre, secundum quem Christus dicitur filius matris.

Ad tertium dicendum, quod vnus, & ens est consequentur, ut dicitur in 4. Met. ideo sicut contingit, quod in vno extremorum relatio sit quoddam ens: in alio autem non sit ens, sed ratio tantum (sicut de scibili, & scientia Philosophus dicit in 5. Met.) ita etiam contingit quod ex parte vnus extremi est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multe relationes. Sicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & aliam maternitatis, quæ sunt specie differentes, propter hoc, quod alia ratione pater, & alia ratione mater est generationis principium. Si vero essent plures eadem ratione principium vnus actionis (puta cum multi simul trahunt nauem) in omnibus esset vna & eadem relatio. Ex parte autem prolis est vna sola filiatio secundum rem: sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet vtrique relatione parentum, se undum duos respectus intellectus. Et sic etiam quantum ad aliquid in Christo, est vna tantum filiatio realis, quæ respicit Patrem æternum: est tamen ibi alius respectus, qui respicit matrem temporalem.

Lib. 4 text. 3.
tom. 3.

Lib. 5 Met.
text. 20. & 3.

COMMENTARIUS.

Sententia D. Th. in hoc art. est, duas esse in Christo Domino relationes filiationis, quia natiuitates, quas consequuntur, diuersarum rationum sunt. Negat tamen vtramque esse realem: sed solum æternam quæ refertur ad Patrem: temporalem verd, quæ refertur ad matrem solum dicit esse relationem rationis, quamquam Christus dicatur realiter filius ex relatione matris ad ipsum. Fundamentum eius est, quia filiatio est proprietas personæ, & in illa recipitur, persona autem Christi non est capax relationis nouæ, ac temporalis, est enim persona diuina, cui nullares ex tempore aduenire potest. Responderi posset, filiationem esse in supposito, tamen media natura. Quod tacite refellit D. Th. in sol. ad 1. quia natura humana, inquit, nullo modo potest esse subiectum huius relationis, quia filiatio directè respicit personam. Quod D. Th. amplius non probat, sed ut per se notum assumit, multa quæ alia dicit in articulo, quæ magnas possent excitare quæstiones, dialecticas tamen, ac metaphysicas, ideoque ab huius loci grauitate alienas. Prætermittendæ igitur sunt, & solum de ijs, quæ ad Christum, & matrem eius spectant differendum.

DISPUTATIO XII.

In tres Sectiones distributa.

De relationibus, quæ ex Christi natiuitate inter eam, & matrem consequuntur.



De natiuitate Christi in vtero, an sit, quid sit, & quæ fuerint illius causæ, dum de conceptione eius tractaretur, necessario dicendum fuit, sunt enim hæc duo reipsa inter se coniuncta, ut

ut

Ad tertium dicendum, quod Luc. 2. dicitur, quod B. A. Virgo ipsum puerum quem pepererat, pannis inuoluit, & posuit in praesepe. Et ex hoc ostenditur narratio illius libri (qui est apocryphus) esse falsa. Vnde Hieronymus dicit contra Heluid. Nulla ibi obsterix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, & mater, & obsterix fuit, pannis (inquit) inuoluit Infantem, & posuit in praesepe. Quae sententia apocryphoni deliramenta coniungit.

ARTICVLVS VII.

Virum Christus debuerit in Bethlehem nasci.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod Christus non debuerit in Bethlehem nasci. Dicitur enim Isaie 1. De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem: sed Christus est verè Verbum Dei: ergo de Ierusalem debuit prodire in mundum.

2. Præterea, Matth. 2. dicitur scriptum esse de Christo quod Nazarenus vocabitur, quod sumitur ex eo, quod scribitur Isa. 11. Flos de radice eius ascendet: Nazareth enim, flos interpretatur. Sed maxime aliquis denominatur à loco suae natiuitatis: ergo videtur quod in Nazareth nasci debuerit, vbi etiam fuit conceptus, & nutritus.

3. Præterea, Ad hoc Dominus natus est in mundo, vt veritatis fidem annunciet: secundum illud Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Sed hoc facilius fieri potuisset in ciuitate Romana, quæ tunc dominatum orbis habebat. Vnde & Paulus Romanis scribens dicit, Rom. 1. Fides vestra annunciat in vniuerso mundo. Ergo videtur, quod non debuerit in Bethlehem nasci.

Sed contra est, quod dicitur Michæ 5. Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.

Respondetur dicendum, quod Christus in Bethlehem nasci voluit duplici ratione. Primo quidem, quia factus est ex semine Dauid secundum carnem, vt dicitur Roman. 1. Cui etiam facta fuerat repositio specialis de Christo, secundum illud 2. Reg. 23. Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob. Et ideo in Bethlehem, de qua natus fuit Dauid, nasci voluit, vt ex ipso loco natiuitatis promissio ei facta impleta ostenderetur. Et hoc designat Euangelista dicens, Ego quod esset de domo, & familia Dauid. Secundo, quia (vt Gregor. dicit in homil.) Bethlehem domus panis interpretatur: ipse autem Christus est, qui ait, Ego sum panis viuus, qui de celo descendi.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Dauid in Bethlehem natus est, ita etiam Ierusalem elegit, vt in ea sedem Regni constitueret, & templum Dei ibi edificaret, & sic Ierusalem elegit, vt esset ciuitas regalis, & sacerdotalis. Sacerdotium autem Christi, & eius regnum præcipue consummatum est in eius passione, & ideo conuenienter Bethlehem elegit natiuitati, Ierusalem verò passioni. Similiter etiam per hoc hominum gloriam confutauit, qui gloriantur de hoc, quod ex ciuitatibus nobilibus originem ducunt, in quibus etiam præcipue volunt honorari. Christus autem e conuerso in ciuitate ignobili nasci voluit, & in Ciuitate nobili pati opprobrium.

Ad secundum dicendum, quod Christus florere voluit secundum virtuosam conuersationem, non secundum carnis originem: & ideo in Nazareth voluit educari, & nutriti, & in Ierusalem quasi pergere nasci. Quia (vt Gregorius dicit) per humanitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur, non secundum potestatem, sed secundum naturam. Et etiam (vt Beda dicit) in diuerso loco nasci illi agebat, vt nobis multas mansiones in domo Patris sui præparet.

Ad tertium dicendum, quod si ut dicitur in quodam sermone Ephesini Concilij, si maximam Romam elegisset ciuitatem, propter potentiam ciuium mutationem orbis terrarum putarent. Si filius fuisset Imperatoris, potestati vtilitatem ascriberent. Sed, vt diuinitas cognosceretur, orbem transformasse terrarum, pauperulam elegit matrem & pauperiorem patriam. Elegit autem Deus infirma mundi, vt confundat fortia, sicut dicitur. 1. ad Corinth. 1. Et ideo vt suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quæ caput mundi erat, etiam caput Ecclesie sue statuit, in signum perfectæ victoriae: vt exinde fides deriuaretur in vniuersum mundum, secundum illud Isa. 26. Ciuitatem sublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis (scilicet Christi) gressus egenorum, id est Apostolorum Petri & Pauli.

COMMENTARIVS.

IN hoc etiam articulo nihil explicandum occurrit in D. Thomæ litera. Quæ verò pertinent ad testimonium Michæ 5. fusius disputatione sequenti explicabuntur, vbi & examinanda sunt ea quæ Caietanus notat in solutione ad secundum. Quæ verò scribit in solutione ad 3. de sede Romana, quod iure diuino illius Episcopus sit vniuersalis Ecclesie Pastor, ita vt ex præcepto Christi hæc duo coniuncta esse necesse sit, ad hunc locum non spectant, & maiori ac diligentiori examinatione indigent. Nam licet constet de iure diuino esse, vt summus Pontifex sit caput totius Ecclesie, & Petri successor in Episcopatu orbis: non tamen ita constat esse de iure diuino, vt ille idem sit Episcopus vrbis. Sed de hoc aliàs. Testimonium autem, quod D. Thomas affert ex Conci. Ephesino, habetur in tom. 6. illius, appendice 5. ca. 2. in oratione Theolloti Ancyrorum Episcopi, de Natiuitate Saluatoris.

ARTICVLVS VIII.

Virum Christus fuerit tempore congruo natus.

AD octauum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit congruo tempore natus. Ad hoc enim Christus venerat vt suos in libertatem renocaret. Natus est autem tempore seruitutis, quo scilicet totus orbis tempore Augusti describitur, quasi tributarius factus, vt habetur Luca 2. Ergo videtur quod non congruo tempore Christus fuerit natus.

2. Præterea, Promissiones de Christo nascituro gentibus non fuerant factæ, secundum illud Roman. 9. Quorum sunt promissa. Sed Christus natus est tempore, quo Rex alienigena dominabatur: sicut pater Matthæi. 2. Cum natus esset Iesus in diebus Herodis Regis. Ergo videtur, quod non fuerit congruo tempore natus.

3. Præterea, Tempus presentie Christi in mundo diei comparatur, propter id, quod ipse est lux mundi: vnde ipse dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Sed in æstate sunt dies longiores, quam in hyeme: ergo cum natus fuisset in profundo hyemis octauo Kalendas Ianuarij, videtur, quod non fuerit conuenienti tempore natus.

Sed contra est quod dicitur Galat. 4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.

Respondetur dicendum, quod hæc est differentia inter Christum, & alios homines, quod alij homines nascuntur subiecti necessitati temporis: Christus autem tanquam Dominus, & conditor omnium temporum elegit sibi tempus, in quo nasceretur, sicut & matrem, & locum. Et quia quæ

Ad 3.

Homil. 8. in Euang. non præcipue à principio, & Beda in ca. 1. super Lucam, ca. 2.

Homil. 8. in Euang. non præcipue à principio, & Beda in ca. 1. super Lucam, ca. 2.

à Deo sunt, ordinata sunt, & conuenienter disposita: consequens est, quod conuenientissimo tempore Christus nasceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus venerat nos in statum libertatis reducere de statu seruitutis. Et ideo sicut mortalitatem nostram suscepit, ut nos ad vitam reduceret:

Super illud Luc. 2. Vt proficeretur rationem ipse seruitio subderetur. Tempore etiam illo, quo totum mundum orbis sub vno principe viuebat, maxima pax fuit in mundo. & ideo decebat, ut illo tempore Christus nasceretur, qui est pax nostra faciens viraque vnum, ut dicitur Ephes. 2. Vnde Hieronym. dicit super Isai. Vt reseruamus historias, & inuenimus usque ad vigesimum octauum annum

super illud Isai. 2. Non duciam: orto autem Domino, omnia bella cessauerunt, seculabitur genti secundum illud Isai. 2. Non leuabit gens contra gentem gladium. Congruabat etiam ut in illo tempore, quo vnus princeps dominabatur in mundo, Christus nasceretur, qui venerat congregare suos in vnum, ut esset vnum ouile, & vnus pastor, ut dicitur Ioan. 10.

Ad secundum dicendum, quod ideo Christus, Regis alienigenae tempore nasci voluit, ut impleretur propheta Iacob dicens, Genes. penultim. Non auferetur sceptrum de Iuda,

Homil. 2. in Matth. in op. imperf. non longe à prin. 2. & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Quia ut Chrysost. dicit super Matth. quamdiu Iudaica gens sub Iudaicis Regibus, quamuis peccatoribus, tenebatur, Prophetia mittebatur ad remedium eius: Nunc autem quando lex Dei sub potestate Regis iniqui tenebatur, nascitur Christus, quia magna & desperabili infirmitas medicum artificiosum rem querebat.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicitur in lib. de quest.

In libr. q. ex veter. & noui Testam. tunc Christus nasci voluit, quando non Test. q. lux diei incrementum incipit accipere: ut ostenderetur, quod ipse venerat, ut homines crescerent in lucem diuinam. secundum illud Luca. 1. Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. Similiter etiam asperitatem hyemis elegit ad natiuitatem: ut ex tunc carnis afflictionem pateretur pro nobis.

COMMENTARIVS.

Constituit D. Thom. differentiam inter Christum, & alios homines, quod alij subdantur necessitati temporis ut nascerentur: Christus verò sibi nascendi tempus elegit. Vnde concludit fuisse conuenienti tempore natum, quia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Videtur autem nulla prorsus intercedere differentia. Quia Christus non ut homo, sed ut Deus elegit sibi tempus nascendi, unde ut homo etiam fuit subditus necessitati nascendi tali tempore à Deo præordinato: idem autem est in alijs hominibus, qui non nisi ex diuina prouidentia certis temporibus nascuntur. Quare si de Ioanne Baptista. v. g. quæreremus, an conuenienti tempore natus fuerit, eadem ratio esset reddenda, scilicet tempore à Deo prædefinito fuisse natum, & ideo tempus illud non potuisse non esse conueniens. Respondetur in primis non esse hoc loco disputandum, an Deus eodem modo omnium hominum natiuitates, & tempora prædefiniret, certum autem est tempus natiuitatis Christi singulari modo esse prædefinitum ex ratione diuinæ bonitatis, & sapientiæ. Nec dubito quin aliorum etiam hominum, præsertim singulariter electorum, natiuitates, ac tempora eodem prædefiniantur modo. Itaque solum est differentia, quod in Christo eadem persona sibi ipsi prædefiniuit tempus nascendi in assumpta natura: ideo absolute, & simpliciter hæc persona, seu hic homo per communicationem idiomatum, dicitur sibi prædefinis se tempus nascendi. Nisi fortasse quis dicat, quæ-

uis Christus ut homo non potuerit sibi eligere tempus nascendi in vtero matris, quia necessario supponitur homo, & consequenter natus in vtero: potuisset tamen sibi eligere tempus, & horam natiuitatis extra vterum. quod profecto est probabile, quauis non sit D. Thomæ sensus, neque ad rem admodum pertinens. Tum, quia illud tempus non tam fuit prædefinitum à Christo, ut homine, quam voluntarie susceptum ex prædefinitione diuina. Tum maximè, quia supposita priori natiuitate in vtero, ex illa necessariò ordine naturæ definitum fuit tempus nascendi extra vterum: supposito tali corporis temperamento, & alijs circumstantijs, quæ in illa natiuitate fuerunt.

In solutione ad secundum attigit D. Thomas expositionem illius loci Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, &c. de quo in prima disputatione tomi superioris fuisse dictum est.

DISPUTATIO XIII.

In quatuor Sectiones distributa.

De natiuitate Christi, ex vtero matris.

Postquam de conceptione, & natiuitate Christi in vtero matris dictum est, sequitur, ut de mysterio Virginei partus, quo Christus in lucem est editus, disseramus. Quoniam autem (ut in superioribus diximus) in his disputationibus eam dicendi rationem tenere curamus, qua vniuersam simul vitæ Virginis seriem texamus, ac explicemus, ratio temporis postulabat, ut si quid notatu dignum in illis nouem mensibus, quibus Christus in visceribus matris latuit, actum est, illud adnotaremus: sed de illo tempore nihil in scripturis, vel monumentis fide dignis habemus, nisi quod Lucas narrat, de visitatione Elisabeth. Statim enim post filij conceptionem eadem fortasse die (ut Euangelista innuit) comite sancto Ioseph (ut decentius, ac verisimilius ab omnibus prudenter indicatum est) in montana perrexit Virgo, non ut in fide confirmaretur, neque, quasi incredula de oraculo (ut Hæretici calumniantur) sed Maria eius quasi læta pro voto, & religiosa pro offitio, & festinans prævisitat Elisabeth (ut dixit Bernard. hom. 4. super Missus est, & sabeth. Amhros. & alij expositores Luc. 1.) At autem Euangelista ibi permansisse quasi mensibus tribus: An vero tempore natiuitatis Baptiste præfens affuerit, dicemus infra, cum de Ioanne Baptista disputabimus. Post illud ergo tempus reuersa est in domum suam, scilicet, in ciuitatem Nazareth: & postea accidit, quod Matthæus narrat de suspicionem, ac turbationem sancti Iosephi, deque Angelij apparitionem. Qua de re supra, cum de matrimonio Virginis, & de sancto Iosepho disputaremus, nonnulla diximus. Appropinquante itaque partus tempore, profecti sunt Bethlehem, vbi Christus natus est. De hacigitur natiuitate primum videndum est qualis fuerit, deinde de circumstantijs loci, ac temporis: de signis verò, ac prodigijs, quæ in illa contigerunt, dicemus commodius in disputatione sequenti.

SECTIO I.

Vtrum verè, ac propriè Christus fuerit natus ex Virgine.

Non defuerunt qui negarint Christum propriè natum esse ex Virgine, quia non naturali, & ordinaria via: sed alia nescio qua ex Virgine prodijt, quod fortasse dixerunt, ut eius Virginitati, & integritati consulerent. Ad quem errorem accessit

Gottfr-

Gust. Gotfredus, quod lib. 7. quæst. 6. dicens Christum non fuisse natum transeundo per medium: sed ab extremo in extremum immediate transiliendo. Hoc enim facilius ei visum est, quam quod interierant corpora penetravit abque ruptione. Quam sententiam inter alias refert Durand. in 4. dist. 44. quæst. 6. & illi non admodum displicet.

Durand. Dicendum vero est Beatam Virginē vere, ac proprie peperisse Christum, ipsumque vere, ac proprie natum esse ex Virgine. Est conclusio certa de fide. Probatur prior pars apertissimis Scripturis, Isai. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet, tam vere ergo peperit, quam concepit Matth. 1. Pariet filium, & infra. Non cognovit eam, donec peperit filium. Si ergo est verus, ac proprius filius, etiam est verus, ac proprius partus, vel si alterum improprie exponimus, cur non etiam alterum? Et Lucæ 2. Completi sunt dies, ut pareret, & peperit filium suum primogenitum. Secundo probatur ex definitione & traditione Ecclesiæ, in Concilio Lateranensi, sub Martino primo, consult. 5. can. 3. definitur Beatam Virginem vere & proprie fuisse Dei genitricem, quia veraciter ipsum Deum concepit, & incorruptibiliter genuit. Idem traditur in Concilio Chalcedonensi, act. 5. in confessione fidei, ubi etiam approbatur Epist. 1. Leonis Pap. ad Flavianum, in cuius cap. 1. ita ad re præsentem loquitur. Non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per nouitatem creationis, proprietas remota sit generis? Quæ verba tam ad conceptionem, quam ad partum accommodari possunt. Et eandem veritatem docent omnia Concilia, & Patres, quos statim referam, & rationem assignabo. Ex hac vero priori parte necessario sequitur posterior. Nam illa duo, scilicet, partus & natiuitas correlatiua sunt. Vnde alijs Scripturæ locis Christus natus dicitur, Ioan. 18. Ego in hoc natus sum, & Isai. 9. Parvulus natus est nobis. Et dicto Concilio Lateranensi, can. 4. definitur, proprie, & secundum veritatem duas esse in Christo natiuitates. Idem in 5. Synodo, collat. 8. can. 3. & in 6. Synodo, act. 11. in epistola Sophronij, & in 1. epistol. Cyril. ad Nestor. quæ in Concilio Ephesino habetur, Verbum Dei sustinuit, sed dicitur, generationem carnalem, carnis sue natiuitatem, suam faciens, & ideo vere prodisse ex Virgine, & natum esse carnaliter: & familia habentur in epistola Cyrilli cum Concilio Alexan. ad eundem Nestor. quæ in Ephesino recipitur, & approbatur. Idem docet egregie Damascen. lib. 3. de fide, cap. 7. Fulgentius, lib. de fide ad Petrum, cap. 2.

Matth. 1. *Trop. vere,* *ac proprie* *Christum* *parit.* *Luc. 2.* *Concil. Lateran.* *Conc. Chalcedon.* *Leo Pap.* *Natiuitas* *Christi ex* *Virgine ve-* *re, & pro-* *prie.* *Ioan. 18.* *Isai. 9.* *Concil. Lateran.* *Conc. Alex.* *1. Synod.* *6. Synod.* *Conc. Ephes.* *Cyrl. Alex.* *Concil. Alex.* *Damasc.* *Fulgent.*

Ex hac conclusione sequitur primo Christum exiisse de vtero Virginis per naturalem viam, qua reliqui homines nasci solent. Quod Damascen. lib. 4. cap. 15. his verbis docuit. Conceptio quidem per aurem contigit, procreatio autem per eam partem, qua factus in lumen oriri consuevit. Ratio est, quia hoc est de ratione veri partus, veræque natiuitatis. Congruentia vero tã conclusionis, quam huius consecrarij est, quia Deus non tantum voluit fieri homo, sed etiam filius hominis, & feminam quandam voluit esse veram Dei matrem: nõ essent autem vera mater, & verus filius, nisi esset verus partus, & vera natiuitas: vnde eleganter dixit Nazian. orat. 51. quæ est epist. 3. ad Chelidon. Christum diuino modo genitum esse, quia sine opera viri, & humano, quia iuxta parienti consuetudinem. Et non minus sapienter idem Nazian. oratio. 16. de amore pauperum, non longe à principio dixit, voluisse Deum, non tantum naturam, sed etiam natiuitatem nostram honorare, & ideo vtramque assumpsisse, cum omni proprietate, absque maculata tamen, vel indecentia, prout Deum decebat. Et confirmatur, quia quidquid aliud dicatur, sine fundamento, & necessitate dicitur: & præsertim quia asserere trãitum ab extremo in extremum sine medio, maius fortasse miraculum est, remque obscuriorem, & difficiliorem reddit. Video tamen posse aliquem multa ex his, quæ adduximus de natiuitate in vtero interpretari: dicendum vero

Fr. Suarez. tom. 2.

A est multa ex illis necessario intelligi de natiuitate extra vterum: alia vero ad illam etiam extendi, quatenus ad quoddam completum, & perfectionem matris hæc natiuitas pertinet.

Secundo colligitur ex eadem conclusione B. Virgine ad partum Christi, non mere passivæ, sed ali- *Virgo actiue impulsu* quo modo agendo, & quasi impellendo concurrisse *Christum* ad foetum emittendum. Hoc enim ad partus, & natiuitatis veritatem pertinet, quoniam alias non ipsa Virgo peperisset Christum, sed vel ab aliqua extrinseca causa eductus esset ex vtero, vel certe ipse virtute sua ex vtero exiisset, sicut egressus est de sepulcro. Beata igitur Virgo, ut vera sit mater, eum impulsit, vel efficaciam, quam alia matres solent, in suo partu ad emittendam prole adhibuit. Vnde Ecclesia canit, Enixa est puerpera Regem. Et confirmari hoc potest, quia in hoc nulla est difficultas neque indecentia. Nam efficere se potius ad perfectionem pertinet, & potuit fieri sine vilo labore aut violentia: præsertim cum diuina virtute factum sit, ut sine vili resistetia, vel repugnãtia id heret, sicut supra cū de Virginitate Mariæ ageremus, declaratū est, ubi fundamentum contrarij erroris dissoluimus, latius de illo dicturi infra, agentes de Christi resurrectione. Quo in loco ostendimus posse vnum corpus simul cū alio in eodem loco existere. Quod (ut August. inquit lib. 22. de Ciuit. c. 8.) illi soli non credunt, qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos ostiis clausis ingressum non credunt. *August.*

SECTIO II.

Utrum Christi natiuitas absque dolore matris, & sordibus puerperij perfecta sit.

Neminem exiis, qui Deiparam, Virginē in partu permansisse crediderunt, inueni, qui asseruerit cum dolore peperisse: hæc enim duo consentanea esse non possunt: non defuerunt tamen, qui sordibus puerperij eam putarint obnoxiam. In quam sententiam inclinavit Abulen. super cap. 12. Leuitic. quæst. 2. 3. 4. & 13. & clarius in 20. Idē asseruit Erasmus Luc. *Abulen.* 2. Caieta. vero hic artic. 6. circa ad 3. partim descendit in hanc sententiam, partim eam corrigit. Dicit enim, intercessisse in illo partu omnia, quæ non ex peccato, sed ex natura sunt, quæque in statu innocentie extitissent: addit vero, Angelorū ministerio prouisum fuisse, ut nulla necessaria esset ablutio: ut & manus Virginæ (inquit) ab huiusmodi obscuris seruarentur mundæ, & mens ipsius ad tanti gaudij fructus magis vnita esset. *Erasm.* *Caietan.*

D Ratio huius sententiæ esse potest, quia ut constat ex Aristot. 2. de Gener. Animal. cap. 4. & Galeno, lib. 1. de formatione foetus, quādo homo concipitur, membræ quædam in vtero matris formantur, in quibus foetus inuoluitur, & intra illas vsque ad tempus natiuitatis continetur, quæ licet varia habeant nomina & officia (quorum explicatio non est huic loco necessaria) vulgari tamen appellatione secundine *Secundina* dicuntur, & hæc rumpuntur tempore natiuitatis, ut proles exeat: post cuius natiuitatem mater secundinas emittit, & copiam sanguinis, qui ad nutrimentū prolis illic fuerat congregatus. Certum igitur videtur Christi corpusculum, intra huiusmodi membranas fuisse conceptum, alias nec naturalem statum habuisset in vtero matris, nec naturali modo potuisset alimentum exurgere, nec excrementa emitte- *Aristot.* *Gal.* *Secundina quid.* re, neque ab externis alterationibus tueri, ad quæ munera huiusmodi membranæ à natura sunt datæ: si igitur Christi corpus, quādiu fuit in vtero matris, his est secundinis inuolutum, necesse fuit tempore natiuitatis rumpi, vel alio modo illis expoliari, ut aliis hominibus accidit, ergo necessarium etiam fuit Beatam Virginem extra corpus suum illas emitte- *erant enim iam superflue* & quasi excrementa quædam) cum hac autem emissionem, sanguinis etiā emissio coniuncta est.

M

Dicen-

Partus Vir-
ginis sine
dolor.
Greg. Naz.
Greg. Nyf.
Damasce.
Isai 66.

Augustin.
Fulgent.
Bernard.

Damasce.

In partu
Virgo secun-
dinas non
emist.
Canon.
Trullan.

7. Synod.
Surius.

Iouer.

Natiuitas
Christi sine
sordibus fa-
cta
6. Synod.
Sophron.
Epiphani.

Gregor.
Nazian.
Cyprian.

Dicendum vero est primo: Beatam Virginem peperisse absque villo dolore. Probatur primo, ex patribus Greg. Nazian. in Tragedia de Christo patiente, circa princ. Virginem introducit de se dicentem: *Patens expers laboris, & doloris* Gregorius Nyf. orat. 1. de resurrectione, idem docet, & Damasce. lib. 4. de fid. c. 15. qui accommodant illud Isai. 66. *Antequam parturiret, peperit, & antequam perveniret partus eius, peperit masculum*, vbi Septuaginta legunt, *antequam venias dolor parturienti*, effugit, & peperit masculum: Idem docet Augustin. serm. 14. de Natiuitat. & ser. 1. de Assumptione. Fulgent. serm. de laudibus Virgin. Bernar. homil. 3. in *M. ssus est*, & serm. 4. in vigilia Natiuitatis, vbi eleganter tractat, quomodo Virgo tam à poena pariendi cum dolore, quàm ab sterilitatis maledictione fuerit immunis. Denique Ecclesia, in officio natiuitatis canit. *Nesciens Virgo virum, peperit sine dolore Saluatorem seculorum*. Vltimo probatur rationibus. Prima est (qua sancti Patres vtuntur,) quia dolor partus respondet libidini, & voluptati conceptionis. Vnde Damasce. supra. *Quam voluptas, inquit, non anteuit, nec dolor quidem in partu sequutus est*. Secundo, quia maxime decebat Christum, vt ortu suo nullum prorsus incommodum etiam temporale matri afferret, præsertim cum facillime posset huiusmodi nocumentum vitare. Tertia, & propria ratio philosophica est illa, D. Thomæ, quia dolor oritur ex diuisione, aut violenta compressione, vel relaxatione partium, ostensum autem est nihil horum passam fuisse B. Virginem.

Dico secundo, B. Virgo in partu suo non emisit secundinas. Hæc conclusio asserta est à Patribus in Trullo congregatis Can. 79. his verbis: *Absque villo secundinæ ex Virgine partum esse constitentes, vt qui sine semine constitutus sit, idque toti regi annunciantes eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subiciuntur, & infra subdit, non licere ex communibus, & iis, quæ in nobis sunt, inenarrabilem Virginis partum, qua supra mentem, & sermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac describere*. Quæ definitio magnam habet auctoritatem, quoniam illi canones, præterquàm quod plusquam à ducentis viginti Patribus editi sunt, in 7. Synodo, act. 7. can. 1. approbati videntur, vt Surius adnotauit. Qui etiam aduertit eandem Synodum, & Florentinam, & Adrianam, ac Michaellem summos Pontifices horum canonum auctoritate vios fuisse. Et quamuis quorundam Græcorum temeritate aliqui eorum deprauati esse dicantur, hic tamē (de quo agimus) nunquam in dubium reuocatus est. Illud tamen valde huius canonis vim, atq; efficaciam minuit, quod aliqui codices non legunt, *absq; secundinis*, sed, *absq; villo dolore*, & ita vertit Iouerius in suis sanctionibus Ecclesiasticis. Ego vero, cum originale Græcum consulere nō potuerim, quod illo caream, non possum de alterutra versione certum ferre iudicium: si tamen intentionem illius decreti spectemus, verisimile est mentem illorum Patrum fuisse, quam Surius explicuit. Reprehendunt enim ibi quorundam consuetudinem, qui in honorem secundinarum impollutæ Virginis, quasdam observabant cæremonias & rationem reddunt, quia non est honor Virginis illi attribuire, quæ cæteris patientibus communia sunt. Intendunt ergo negare huiusmodi secundinas in partu virgineo. Et hanc conclusionem confirmabunt, quæ in sequenti afferemus.

Dico ergo tertio, Virginis partum, Christi que natiuitatem purissime sine villo sordibus fuisse perfectam. Probatur primo, ex Patribus in 6. Syno. act. 11. Sophron. in sua epistola partum Virginis vocat *incorruptibilem*, quia scilicet, *sine fluxu sanguinis, aut simili persione perfectus est*, & simili ratione Epiphani. lib. 3. cont. hæres. in fine. *Natus est, inquit, per gentiles meatibus citra pudfectionem, impollute, absque inquinamento*. In eandem sententiam conspirant Nazianz. in Tragedia, Christus patiens, colum. 10. & 11. Cyprian. in

A serm. de natiuit. Christi, Maria, inquit, *genitrix, & obsterix, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio*: vbi alia multa habet ad idem propositum. Item Aug. 29. cont. Faustum c. 3. & 4. lib. de quinque heresib. c. 5. *Stulte, inquit, vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre?* Denique D. Thom. hic art. 6. ad 3. in eadem est sententia. Negat enim, & merito cum Hieron. lib. cont. Heluid. interfuisse in partu Virginis obstetricum ministerium, aut mulierum sedulitatē, quæ non parum fuisset necessaria, si B. Virgo sordibus puerperij fuisset obnoxia. Et quamuis Caieta. propter hanc causam adhibendum putauerit Angelicum ministerium: non videtur tamen necessarium, nec expediens in hoc negotio alterius creaturæ, præterquam ipsius Virginis operam interpositam fuisse. Et confirmatur. Nam propter hanc causam docent sancti Patres infra referendi, B. Virginem non indiguisse purificatione, quia germinans germinauit sicut lilium, & licet verbalis Isai. 35. accommodare. Vnde Cyprian. supra eleganter dicit prodijisse Christum ex Virgine, *sicut fructum ex arbore, aut sicut radium ex sole*, quibus, & alijs exemplis explicat sancti Patres summam puritatem, & munditiam illius partus. Ratione tandem declaratur: nam hæc conclusio ex præcedenti sequitur. Sunt autem, qui existiment posse interdum naturali(er) fieri, vt mulier sine huiusmodi secundinis, aut sordibus pariat. Quod indicare visus est Cornel. Ianf. in concord. c. 10. citans Aristotelem: tamen neq; Aristot. id asserit, neq; videtur naturaliter possibile. Tractat quidē hac de re Arist. lib. 7. de Histo. Anim. & c. 9. dicit, interdum emittere foeminam parientem sanie pallidam, interdum cruentā, & subdit nonnullis neutrum accidere: non tamen dicit alicui accidere partū sine emissionē secundinarum, aut sanguinis, & aliorum excrementorum, vt ex sequenti cap. manifeste constat. Et ratio id cōiunct, quia ille modus conceptionis est à natura præscriptus, & fieri non potest, quin nouem illis mensibus, quibus puer alitur in utero, aliqua excrementa, & sanguinis copia cōgregata sint, quæ in partu necessitate quadam naturali expelluntur. Non oportet igitur in naturali actione fundari: sed operæpretium est fateri miraculū aliquod fuisse necessarium, vt Christi natiuitas dicto modo fieret: sed illud miraculum maxime decebat, & tanti filij dignitatem, & Virginis puritatem. Et sic expedies fuit, vt Christus nascendo non esset matri alicuius, doloris causa, ita quoq; vt nullam ei corporalē immunditiam, aut indecentiam afferret. Vnde, licet hoc miraculum non sit in Euangelio expressum: ex ipsa tamen rei decentia piissimè creditur, accedente præsertim Patrum, quos attulimus auctoritate. Et in Euangelio nonnullū habemus indicium, dicente Luca, c. 2. *peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit: & reclinauit eum in præsepio*. Quibus verbis insinuat nullam aliam actionem, mundationemve in eo negotio intercessisse, aut fuisse necessariam, vt Hieron. ponderauit, contra Heluidium, & D. Thom. hic art. 6. ad 3. & bene Caietan.

Dupliciter autem explicari potest hoc miraculū. Primo, vt Christi conceptio facta fuerit absque illis membranis, & secundinis. Quod fieri potest verisimile. tū quia miraculose Spiritus sancti virtute conceptus est: tum etiam, quia videtur cessasse illarum necessitas. In naturali enim conceptione incipit secundina formari, vt genitura complectatur, in qua vis seminis inest, vt ita paulatim formetur fœtus. Hæc autē ratio in Christi conceptione cessauit, quia momento perfecta est absque semine, & absq; impuro sanguine matris, ex quorum concursu, & actione vnus, & alterius dispositione generatur hæc membrana crassa, sicca, & duricula. Si autē Christus in utero matris non fuit inuolutus his mēbris, absq; nouo miraculo factum est, vt in natiuitate inuentæ non sint, ablatis autem secundinis facile intelligitur ratio,

August.

D. Thom.

Hieronym.

Caietan.

Isai 35.

Cyprian.

Cornel.

Langen.

Aristot.

Partu femi-

narum natu-

raliter non

est sine sordi-

buss.

Luc. 1.

Hieron.

D. Thom.

Caietan.

ratio, ob quam nulla alia sordes inuēta fuerint, nec sanguinis emissio, quia hæc omnia potissimum eueniunt in aliorum partu ex diuisione secundinarum, in quibus illa omnia congregate sunt. Hic vero dicendi modus, quamuis fieri potuerit, necesse tamen est, ut multa miracula congerat fere continua illis nouem mensibus, ut in principio huius festi argumentabamur. Duo tamen sunt præcipua. Alterū pertinet ad alimentū fœtus, quia fœtus per vmbilicum secundinis copulatur, per quas fugit sanguinem à matre, & ideo secundinæ plenæ sunt venis. Vnde si Christi corpusculum his membranis caruisset, non potuisset naturaliter alii. Nisi fortasse verū sit (quod aliqui dicunt) præter has membranas prodire ex venis matricis fœtū quoddam veluti funiculos, quibus fœtus coniungitur matri in vmbilico, ut nutriatur. Nam si hoc verum est, facile intelligitur fieri potuisse, ut Virgo non haberet tēpore partus superfluum sanguinem, quē euacuaret, sed solū sanguinē purissimum, qui & ad sui corporis, & filij nutritionē sufficeret. Alterū miraculum est, quia non poterat naturaliter corpus Christi in vtero Virginis nō habere aliqua excrementa, oportuisset ergo vel illa iniicere in matricem Virginis, quod nec decebat, neq; est ordini naturæ consentaneum, vel certe fieri miraculosē debuit, ut alia via resolverentur.

Alius modus explicandi hoc miraculum facilius esse videtur, si dicamus Christum quidē fuisse conceptum membranis inuolutum, & ita habuisse in vtero matris statum omnino naturalem: tempore autē natiuitatis, sicut prodijt per naturales vias sine ruptione claustrī virginis, ita etiā exiisse illas membranas eas penetrando absque ruptione, atq; hac ratione purum, ac nudum ex vtero matris elapsū fuisse. Membranas autē illas, cum omni sanguine, & excrementis in illis conclusis non fuit necesse in lucē hanc prodire post Christum natum: sed diuina virtute fieri potuit, ut vel in aliam materiam resolverentur, vel alio miraculoso modo in alium conuenientem locum transferrentur. Primum quidem, ut partus Virginis omni ex parte esset purissimus, eiusque integritas, ac virginitas ex illius modo, manifestaretur. Deinde, quia cum secundinæ sint corpus densum ac durum, non poterant ex vtero Virginis exire absq; ruptione claustrī virginis sine miraculo penetrationis, vel transitus ab extremo in extremum sine medio. Cum ergo necessarium fuerit aliquod miraculum, credendum est Deum illud elegisse, quod & dignitati mysterij accommodatius esset, & facilius, ut omnia possint optime expediri. Nam (ut docte dixit Caietan.) hæc secreta miracula, quæ aliena sunt ab omni suspitione, maxime decuerunt Christum, etiam in tempore infantie propter matris obsequium, & ut suauius omnia disponeretur, & citius expedirentur. Addit præterea & recte, hæc omnia conduxisse ad confirmationem, & augmentum fidei Ioseph, qui cum matre adorabat natum mundi Dominum.

Denique circa hanc rem obseruatione dignus est locus Hierony. libro contra Eluid. ubi ad illum loquens, sic inquit, *Iunge si libet, nostras contumelias, nouem mensibus vterum intumescentem, fastidia partum, sanguinem, pannos, non erubescimus.* Hæc enim verba per exaggerationem intelligi possunt, sensu quasi conditionato, ut quando alteri respondendo dicimus, etiam si totum, quod assumit, concedatur, non sequi, quod intendit. Sic inquit Hieronymus, licet necessarium esset concedere aduersario illa, quæ in humana conditione vilia, & abiecta esse videntur, non propterea negandum fuisse Christum natum esse ex Virgine, & illam virginem permansisse. Quo fit, ut si necessarium non sit omnia illa concedere, magis conuincatur hæreticus, quod sine occasione, vel causa in illam sententiā inciderit. Et quia reuera illa concedere non erat necessarium, quasi se corrigens

Fr. Suarez, Tom. 2.

subdit Hieron. *Sed ut hæc, quæ scripta sunt, non negamus ita illa, quæ non sunt scripta, renuimus.* Quæ responsio, satisfacere posset huic loco, nisi idē Hieron. in epist. 22. ad Eustoch. de custodia Virginitatis, mentem suā amplius explicuisset, dicens: *Nouem mensibus in vtero ut nascatur expectat, fastidia sustinet, crucietus egreditur.* Quorum verborum nullam commodam expositionem inuenio, nihilominus sententia à nobis explicata magis probanda videtur.

SECTIO III.

Quo in loco natus sit Christus.

TRia loca huius gloriose natiuitatis possumus ex Evangelistis colligere, Bethlehem, diuersorium, ac præsepe, ut vnus sit veluti proprius, alius communis, tertius communior, quique pluribus pateret. De singulis igitur aliquid breuiter adnotandum.

Primum itaque Christum natum esse in Bethlehem Iudæ, fide constat ex Matthæo, & Luca, & æqua certitudine constat fuisse prædictum à Michæa, c. 5. Messiam nasciturum fuisse in Bethlehem, ita enim Matth. c. 2. & Ioan. c. 7. illum locum interpretantur. Nam quamuis dici possit, eos non interpretari, sed referre, quod sacerdotes, & scribæ, aliq; dicebāt: tamen reuera eam interpretationem approbant, imo ideo referunt, ut doceant impletum fuisse in Christo illud signum Messia, quod inter Iudæos communis omnium erat consensione acceptum, eo quod in Scriptura esset expressum. Neque ad alium applicari possunt illa verba, *ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Non enim possunt attribui Dauid, cum multo ante hanc prophetiam, quæ de futuro loquitur, natus sit: neque Zorobabeli, qui natus est Babylone: neque alicui alteri, nullus enim alius dux Israel, post illā prophetiam ortus est ex Bethlehem.

Sed dicent Hebræi, etiam Christum nunquam fuisse ducem, aut Dominum populi Israel. Respondemus, vel non esse sermonem de Israel secundum carnem, nec de principatu, aut dominio temporali: sed de Israel, & duce, ac pastore spirituali, de quo dictum est Osee 1. *Congregabuntur filij Iudæ, & filij Israel pariter, & ponent sibi in caput vnum, & Hierem. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iudæ sedus nouum, & infra, Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Vel etiam addere possumus Christum esse ducem populi Israel. Multi enim à principio Euangelicæ prædicationis illi nomina dederunt, & plures quotidie cōuertuntur, & in fine seculi omnes tandem illi subiciuntur.

Illud vero in prædictis testimonijs obseruandū est, Michæam prædixisse Christum nasciturum in Bethlehem Ephrata, Matthæum tamen referre, illum in natum esse in Bethlehem Iudæ. Hæc tamen nulla est differentia, quæ ad rem pertineat: eadem enim vrbs Bethlehem olim dicta est Ephrata, ut patet Gen. 35. & 48. & Psal. 131. quæ ad hoc mysterium accommodat eleganter Hieron. epist. 27. dicens, Dauidem in verbis illis: *Si introiero in tabernaculum domus mee, &c. donec inueniam locum Domino,* explicasse desiderium, quo tenebatur cognoscendi hoc mysterium, & statim oculis propheticalibus illud agnoscisse, dicens: *Ecce audiui-mus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis syriae.* Hæc autem Bethlehem erat in sorte Iudæ non procul ab Ierusalem, (ut ait Euseb. lib. 7. de Dem. c. 2.) id est, vel triginta quinque stadiis, ut ait Iustinus Apolog. 2. vel sex milliariis, ut scribit Hieron. de locis Hebraicis, & ideo dicta etiā est Bethlehem Iudæ, ut distingueretur ab alia Bethlehem, quæ erat in tribu Zabulon, ut constat Iosue. 19. & notauit Hieron. in Matt. & lib. de locis Hebraicis. Qui etiā animaduertit vtrūque nomen mysterio natiuitatis Christi recte adaptari. Bethlehem enim *domus panis*, interpretatur, Ephrata autem *fructifera*, Christus autē & panis est vitæ, & præcipuus vniuersi fructus. Quanquā enim hæc nomina non fuerint ab hominib; propter hoc mysterium

Christus nascitur in Bethlehem Iudæ. Matth. 2. Luc. 2. Mich. 5. Ioan. 7.

Obiectio. Responsio.

Osee 1. Hieron. 31.

Gen. 35. & 48. Psal. 131. Hieron.

Euseb. Iustin.

Iosue. 19. Hieron.

imposita: sed vel propter illius terræ pinguetudinē, ac fecunditatem, vel (ut alij volunt) appellatione sumpta ab aliquibus priscis hominibus, de quibus mentio fit. 1. Paral. 4. diuina autem providentia fieri potuit, ut mysterio a se prædefinito nomina cōgruerent. Vnde et ratio colligitur, ob quam Christū eo loco nasci oportuit, scilicet, ut in eo, quod per Prophetā dictū fuerat, impleretur. Prædictū autē fuit, ut hoc esset nobis vnū ex certis signis aduentus Messie.

Obiectio.
Responsio.

Bethlehem
in nati-
uitatē Chri-
sti cur ele-
cta.

Dices: Sed cur prædefiniuit Deus, ut in hoc loco potius, quam in alio nasceretur. Respondetur si generatim loquamur, & consideremus Bethlehem, ut erat patria Dauid, non alia ratione elegit eam, quam ipsum Dauid, scilicet, sua voluntate, & beneplacito: postquam autem elegit nasci ex Dauid, decuit in patria illius nasci, ut locus ipse natiuitatis originē demonstraret. Si vero consideretur Bethlehem, ut erat exigua, & humilis ciuitas, eadem ratione electa est, quia Christus humilem, ac pauperem nascendi modum elegit. Vnde ser. 1. de Epiphani. inquit Leo. Sed qui serui suscepit formam, Bethlehem prælegit natiuitati, Ierosolymam passioni.

Dubium.
Matth. 2.
Mich. 1.

Sed hinc oritur grauis difficultas ex loco Michæ. 5. prout ab ipso scribitur, & à Matthæo refertur c. 2. ille enim Bethlehem ciuitatem minimam, ac paruum appellat, dicens, & tu Bethlehem Ephrata minimus es in millibus Iuda. Matthæus autem, Nequaquam minima es. Quæ videtur aperta contradictio, in qua dissoluenda tam Hieronymus, quam alij deludunt. Sed quoniam & ad nostrum institutū non multum refert, & ab alijs diligenter tractata est, præsertim à Cornel. Iansen. Ribera. Test. monij Michæ & Matthæi, concordia. Iustin. Cyril. Alex. Origen. Tertul. Cyprian. August. Chrysost. Hieron. Euseb.

Ambros.

lib. 5. epist. 18. non obscure colligitur. Prius enim refert verba Prophetæ cum negatione, & tamen paulo inferius dubium mouet de apparenti contradictione inter Euāgelistam, & Prophetam, quam dicit esse verborum, non tamen sensuum, ut ipse explicat.

Ioan. 6.

Breuitate tamen sensus Prophetæ fuisse videtur, Bethlehem exiguum oppidum fuisse, ciuiū, scil. numero, & murorum ambitu: non tamen dignitate, & nobilitate, quandoquidē ex illo nasciturus erat Messias. Quod enim, cum paruulum eum vocat de quantitate (ut ita dicam) situs, seu loci, loquatur, nullus est qui dubitet. Nam & proprietas verborū id postulat, & ex re ipsa constat Bethlehem paruum fuisse oppidum. Vnde Ioan. 6. Castellum appellatur. Quod autem docere voluerit Prophetā dignitate, & nobilitate fore magnum, constat ex sequentibus verbis: Ex te mihi egredietur dominator in Israel: imo ideo præmisit, & ante oculos posuit localem exiguitatem eius, ut amplitudo eius, & dignitas mirabilior videretur. Euāgelista autem Matthæus, quia prior pars de loci quantitate nihil ad mysterium pertinebat, partem aliam de illius dignitate disertis verbis explicare studuit, dicens: Nequaquam minima es in Principibus Iuda. Et ut explicaret se loqui de loci dignitate subdit: Ex te enim exiet Dux: addens adiectiuum, eum, quæ etiam non est in Prophetā. Nam causa, ob quam Bethlehem non est minima dignitate, ea est,

quia in illa natus est Christus. Quæ tamen ratio ad loci magnitudinem accommodari non posset. Et ita nulla est contradictio, qui Euāgelista non tam exteriorum verborum sonum, quam sensum respexit. Nec existimo necessarium ut legantur in Prophetā per interrogationem verba illa. Minimus es in millibus Iuda: tum, quia nec in Hebræo, neque etiam in Græco codice est nota interrogatio, neque vilius Patrum illam adhibuit: tum etiam, quia si ita legatur, ex vi horum verborum non habebitur ex hoc loco Bethlehem fuisse exiguum oppidum, quod sine dubio intendit affirmare Prophetā. Denique quia hoc modo affirmatiue legendo, melius consistit sensus: tacite enim indicata seu subintellecta latet ibi coniunctio aduersatiua, ut sensus sit: Tu Bethlehem paruulus quidem es, sed ex te egredietur dominator in Israel: ac si diceret, sed virtute, & dignitate magnus existis. Vnde Greg. Naz. orat. 19. Functus in Patri. suum Nulla inquit res prohibuit quo minus Bethlehem simul & parua ciuitas esset, & totius terræ Metropolis, ut pote Christi patrens, atque nutritrix.

Secundò dicitur Christus natus in diuersorio, ut constat Luc. 2. Quid autem hoc diuersorium fuerit, & ubi fuerit situm, non satis constat, & quidem Hieron. in epitaphio Paulæ, seu epist. 27. significat fuisse domum aliquam in Bethlehem sitam, ad quam aduenæ tanquam ad hospitium cōmune diueriebant: sic enim de Paula scribit: Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Fauere etiam videtur Cypria. serm. de Natiuit. Christi. ubi de pastribus loquens inquit: Veniunt in Bethlehem, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emanuel, ciuitas parua, domus pauperula, suppellex exigua. Beda. lib. de locis sanctis. c. 8. dicit, diuersorium fuisse, quasi naturale semiantrum, in Orientali angulo Bethlehem situm, ubi significat fuisse intra muros Bethlehem.

Aliorum vero sententia est diuersorium illud fuisse speluncam quandam in suburbis Bethlehemiticis positam. Ita indicat Hieronymus in epist. 17. & 18. ubi locum illum appellat speluncam Saluatoris, & paruum terræ foramen. Origen. etiam. 1. cōtra Cels. factis post. med. Euseb. lib. 7. de demonstr. ca. 1. demonstra. 4. ubi dicit, nunc ostendi agrum, in quo Virgo enixa infantem deposuit. Clarius Nice. li. 1. Hist. cap. 13. affirmat locum illum fuisse speluncam extra oppidum positā. Et potest afferri probabilis coniectura, quia cum eo tempore magna hominum multitudo in Bethlehem conflueret, ut describeretur iuxta Cæsaris edictū, accedere facile poruit, ut Ioseph, & B. Virgo intra Bethlehem hospitium non inuenirent, & ideo ad prædictam speluncam extra muros diuertere cogerentur. Dicitur enim fuisse locus ille quasi publicum & commune receptaculū, ad quod pauperes, peregrini, vel pastores cōfugere solebant. Ratio vero, ob quam Christus huiusmodi locum, in quo nasceretur, elegit, moralis quidem est, ut reprobareret gloriam mūdi, & damnaret seculi vanitatem, ut Bernard dicit orat. 3. de Natiuita. Quæ ratio optima est, si locus ille, ut pauper, & abiectus confideretur: si autem spectemus illum, ut hospitium quoddam, & Christum velut in via nascētem, conueniens etiā fuit (ut inquit Petr. Chrysolo. ser. 175. Viator in via nasceretur, ut omnis aditus, excluderetur erroris, & viator tandem calū peteret, qui terreni itineris in casum diu sudores pertulerat, & labores. Vel certe (ut Gregor. ait hom. 8. in Euāg.) propterea non in patetū domo, sed in via nascitur, ut ostenderet quod per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Addit vero Caiet. hic literalē rationē huius mysterij fuisse, quia ad occultandā huius Natiuitatis excellētiā, & matris Virginitatem, oportuit ut remotis arbitris, proculque ab amicis, & cognatis, atque adeo extra domicilium proprium Beata Virgo pareret. Eademque ratione potuit esse conueniens, ut in loco remoto, &

extra

extra urbem posito partus accideret, alioqui vel obporteret obstericem vocari, & alia, quæ in partu necessaria esse solent, adhiberi, vel necessarium esset mysterium Virginei partus omnibus parere. Præsertim quia oportebat, Pastorum ac Magorum adorationem absque tumultu, & publica manifestatione, ac multorum admiratione fieri. Cum ergo diuina Sapientia suauiter omnia disponat, locum ad hæc omnia accommodatum elegit: & ideo credibile est locum hunc extra urbem positum fuisse. Neque obstat, quod dicitur Christus in Bethlechem natus, quia alicuius oppidij seu ciuitatis nomine etiam suburbia comprehenduntur.

In præsepio reclinatur Christus.
Tertius locus huius natiuitatis, dicitur præsepe, de quo Hieronymus epi. 18. Præsepe (inquit) in quo Infantulus vagit, silentio magis, quam infirmo sermone honorandus est. Obseruandum vero est, præsepe non fuisse proprium locum natiuitatis Christi, id est, quem Christus exiens ex utero matris primo attigit, seu occupauit: prius enim B. Virgo, vt Euangelista dicit, *Peperit filium suum, & postea, reclinavit illum in præsepio.* Vnde non immerito scire aliquis cupiet, quis fuerit locus, quem nascens Christus suo sacratissimo corpore primò tetigit. Videri enim potest fuisse terra, seu pauimentum illius speluncæ, quia ibi nulla fuit obsterix, quæ prole reciperet. Quod si ita fortasse fuit, nõ exiguum in eo factò Christus humilitatis exemplum præstitit. Verisimilius autem est manus, & brachia B. Virginis fuisse primum locum, quem Christus extra uterum occupauit, vt Caiet. hic artic. 6. docere videtur. Et quia vix poterat decenti modo fieri, vt ipsamet Virgo nascentem ex se Infantem susceperet, verisimile est Angelorum ministerio fuisse susceptum, & in manibus Virginis positum. Hoc enim totum Christi dignitatem decebat, & B. Virgini tale gaudium, & amoris significatio debebatur. Vnde eleganter Cyprian. serm. de nati. Christi, Genitrix (inquit) est, & obsterix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrahit, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam: totum negotium plenum gaudij.

Christus ex utero matris prodijt Angelorum manus suscipitur Cyprian.
Sed rogas cur B. Virgo filiū postea reclinauerit in præsepio. Respondeo id literalem & humanam rationem sequamur, id necessitate quadam factum esse, quia nec semper poterat brachijs Virginis aut Iosephi sustineri, neque ibi commodior inueniebatur locus. Si autem contemplerur diuinam prouidentiam, cuius admirabili consilio omnia febant, tradunt Patres rationes varias, tum morales, tum allegoricas, vt videre licet in homilijis, & orationibus de Natiuitate Christi. Illa hoc loco notanda videtur, quæ Chrysost. homil. 1. in Lucam attigit, dicens: *Quare in præsepio? vt impleteretur vaticinium Isaie Prophete, cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Scriptum est in alio loco homines, & iumenta saluabis Domine. Si homo es, panem comede: si animal es, ad præsepe accede. Et eandem rationem latius prosequitur, alias simul insinuans Greg. Nyssen. orat. de sancto Christi Nati. Porro præsepe rationis, atque sermonis expertum animalium domicilium est: in quo Verbum nascitur, vt bos cognosceret possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatum animal, quod peccato simulachrorum cultus oneratum atque grauatum est. At brutis quidem conueniens cibus, & victus gramen, ac fenum est. Qui producit enim gramen, & fenum pecoribus (inquit Propheta) rationale autem animal panem nutritur. Quamobrem præsepio, quod est habitaculum brutorum is, qui de celo descendit, panis vitæ proponitur, vt etiam bruta rationali inuicem sumpto cibo, rationem adipiscantur. Mediū igitur inter bouem & asinum in præsepio vtriusque Dominus est, vt soluto interstitio sepius ambos in sese creet vnum nouum hominem, & ab hoc graue legis iugū auferat, & illam simulachrorum cultus onere leuet. Ex quibus verbis intelligimus Christum non solum iacuisse in præsepio, verum etiam inter animalia bruta, bo-*

Inter bouem & asinum nascitur Christus. Abacuc. 1.
nem scilicet & asinum, & tunc ad literam implem esse, quod iuxta septuaginta interpretes Abacuc. c. 3. prædixit: *Consideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cognosceris.* Quam lectionē & interpretationem videtur amplecti Ecclesia in officio Nati. Domini, dicens, *O magnum mysterium & admirabile sacramentum, vt animalia viderent Dominum natum iacentem in præsepio.* Et in officio de Circunci. Domini, inquit, *Domine audiui auditum tuum & timui: consideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium iacebat in præsepio, & fulgebat in celo.* Atque hæc fuit sententia antiquorum Patrum, Greg. Nyss. nuper citati, Nazianz. orat. in Christi natiuitate. Cyri. Ieros. Catech. 12. Aug. orat. cont. Iudæos, & Paga. c. 13. Hiero. epist. 27. ad Eustochium, Paulin. epist. 10. ad Seuerum.

Greg. Nyss. Greg. Naz. Cyri. Iero. August. Hieron. Chrysost.
Vltimo circa præsepis locū notandum est, Chrysost. citata homilia indicare fuisse lapideū seu luteum, & si mihi liceret, inquit, videre illud præsepe, in quo Dominus iacuit, nunc nos Christiani, quasi pro honore, tulimus luteū, & posuimus argenteum, sed mihi pretiosius est, quod ablutum est. Alij vero dicunt fuisse ligneum, & hæc videtur esse communior Ecclesiæ Romanæ traditio, in qua præsepe illud vsq; in hodiernū diem summa reuerentia seruatur in D. Mariæ templo, quod Maioris nominē obtinuit. Denique refert Hieron. epist. 48. in loci illius speluncæ insignē Ecclesiam extructam esse, & præsepe loco altaris collocatum. Eiusdem quoque Ecclesiæ meminit Beda, lib. de locis sanctis, c. 8.

SECTIO IV.

Quo tempore Christi natiuitas acciderit.

Christus in præsepio cur reclinatus.
Omnia fere, quæ de circūstantijs huius temporis inquire possunt, in superioribus sunt definita. Supponenda ergo sunt hoc loco, quæ in 1. tomo disput. 6. sect. 1. de tempore, quo facta est Incarnatio, scripsimus, vbi conclusimus factam fuisse fere quater millesimo anno à creatione mudi, anno secundo Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, qui iuxta cōputationem Romanorū fuit annus quadagesimus primus imperij Augusti. Huic autem fundamento addendum est ab Incarnatione vsque ad Natiuitatem Christi nouē integros menses fuisse transactos. Refert enim Epiph. hæres. 51. quosdam dixisse Christū septimo à sua conceptione mense fuisse natum, alios vero, fuisse gestatum in utero nouem mensibus, & fere decem & septem diebus. Verumque vero est omnino falsum, vt constat ex Ecclesiastica traditione, quam notauit Aug. lib. 4. de Trinit. c. 5. & lib. 83. q. in 56. & Chrysost. hom. 1. in Lucam, & hoc idem intelligit Sophronius in epistola synodali, quæ refertur. 6. synodo, act. 11. cum inquit, *In utero Virgineo deportatum, tempus expleuissē legitimi puerperij.* Damasco. vero, lib. 4. cap. 15. Nouem, inquit, menses expleuerat, ac decimum iam ingressus erat, cum in lucem prolatus est, & Theorianus, in legatione ad Armenos, dicit nouem mensibus & quinque diebus Christū fuisse in utero matris, sed nihil docet à superioribus Patrib. diuersum. Nam Augusti. etiam dicit nouem menses & sex dies inter cōceptionem & natiuitatem intercessisse: loquitur autem de mensibus æqualibus, & triginta diebus constantibus, numerando autem menses in æquales, prout sunt in communi vsu hominum, solum nouem integri menses interfuerunt, qui omnes ducentos septuaginta sex dies complectuntur, vt etiam Aug. animaduertit, & facile potest dignosci cōputando dies, qui sunt inter festa Annuntiationis, & Natiuitatis Christi, prout in Romana Ecclesia celebrantur. Ratio autem huius temporis nõ est alia (vt notarunt Sophronius, & Damasc.) nisi quia, hoc est legitimum tempus, & maxime cōnaturale ad perfectam hominis natiuitatem, in ijs autem quæ ad perfectionem naturæ pertinent, & indecentiam nõ habet, voluit Christus naturali modo nasci. Tertio tadem supponendum est ex dictis supra citato loco, tomi primi, & ex hoc ipso disput. 9. sect. 5. Christi conceptum

Quo tempore Christi natiuitas euenit. Epiphani. August. Chrysost. Sophron. Damasc. Theorian.
Fr. Suarez. Tom. 2.

ceptum esse vigesimo quinto die Martij, vt ex Athanasio, Chrysost. & Aug. Clemente Alexandr. & Nicepho. ibi citatis, & ex Ecclesiastica traditione constat.

Athanas.
Chrysost.
August.
Clem. Alex.
Nicephor.

Ex his igitur sequitur primo, Christi natiuitatem contigisse iuxta Græcorum computationem anno tertio Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, iuxta modum autē computandi Romanorum anno quadragesimo secundo imperij Augusti, vt ex Eusebio, Epiphano, Clemente Alexan. & Beda citato loco notauimus: & in eadem sententiā Tertullianum, & Irenæū interpretati sumus. Vna verò difficultas superest hoc loco explicanda: nam Lucas Euangelista refert Christum natum eo fere tempore, quo facta est prima descriptio sub Quirino: At teste Iosepho, libr. 13. antiquit. ca. 12. ille census, seu descriptio sub Quirino incidit in annū trigessimū septimum post victoriā Actiacā, qui fuit quadragesimus nonus imperij Augusti, illud ab initio consulatus, seu triumuiratus numerando. Respondetur, vel Iosephum non loqui de censu, & descriptione, cuius Euangelista Lucas meminit, vel certē annorum computatione lapsū esse. Priorem respondendi modum amplexus est scholiastes Eusebij, Dadraus, li. 1. Hist. cap. 5. quanquā Eusebius ibi illo testimonio Iosephi in confirmationē historię Euangelicę vtatur, nulla huius discordię mentione facta: Itaque ex ipsius verbis Luca constat non semel tantum, sed sæpius exactum fuisse hoc tributum sub Quirino, sic enim, inquit, Hęc descriptio prima facta est sub præfide Sirie Cyri-
no. Nam quod dicit primā non simpliciter intelligit, sed sub illo præfide, nam sub aliis prius sepe fuerat tributum Iudæis à Romanis impostum, & imperatum. Dicit ergo prædictus author, Iosephum non fuisse loquutū de primo censu, cuius Lucas mentionem fecit: sed de secūda, vel tertia descriptione (illæ enim per lustrā fiebant) quæ post Herodis mortem, & Archelao iam in exiliū misso, facta est. Posteriori vero respondēdi modū constātiſſime defendit vir eruditus Baronius in apparatu suorum annalium, quia reuera (fiarrente legatur idem Iosephus in vltimis verbis libr. 17. & cap. 1. & 3. libr. 18.) aperte loqui videtur de primo censu sub hoc præfide exacto: latissimè ergo probat hic author lapsū fuisse Iosephū, referentem hanc descriptionem ad tēpora Archelai post defunctū Herodem: quem sæpius in eadem historia lapsū esse demonstrat, ne præsens error incredibilis videatur. Indicat etiā causā erroris, nimirum, quod in rebus ad Herodianū regnū pertinentibus, nouem annos prætermiserit. Ac denique ostendit, præter diuinā auctoritatē, licet humana coniectura agēdum esset, maiore fidem Lucæ adhibendam esse, quam Iosepho: tū quod fuerit illis temporibus vicinior: tum etiā, quod res Christianorū, & melius nouerit, & sincerius vbiq; tractet, ac referat: tū denique quia hęc historia Lucæ à nullo ethnicorum, & antiquorum hostiū fidei in hac parte rephensa est: Quin potius Iulianus apostata apud Cyrillum, libr. 6. contra illum, hoc Lucæ testimonio comprobatur Christum cum patre, & matre fuisse descriptum sub Cyrino. Igitur quicquid sit de Iosephi testimonio, certum est hanc descriptionē factā fuisse eodem anno, quo natus est Christus. Idem diserte affirmat Euangelista. Quod autē Euseb. in Chronico descriptionem hanc videtur ponere in secundo anno Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, natiuitatē autē Christi in tertio, intelligendum est, Quirinū superiori anno fuisse Roma missum, vt cēsum faceret, descriptionem autem factā esse sequenti anno, quo natus est Christus. Vnde etiā certū est illā descriptionē factā esse regnate Herode, ante Archelau, atque adeo vigesimo nono, vel ad summū trigesimo anno ab Actiā victoriā, qui fuit quadragesimus secundus imperij Augusti. Sub quibus autem consulibus Romanis, & quo anno Herodiani regni natiuitas Christi cōtigerit, prætermitto dicere: tum

Responsio.

Dadraus.
Euseb.

Luc. 2.

Descriptio
sub Cyri-
no.
Præfide
quo anno
facta.

Baron.

Cyril.

Euseb.

A quod necquā ad scholasticū institutū, necquā ad fidei confirmationem, vel defensionē pertinere cōſeō: tū etiā, quia res mihi est incerta, de qua nihil affirmare, sed aliorum tantum sententias possem referre. Quod satis diligenter præstitit Casar Baronius supra, & Benedictus Pererius, lib. 11. in Daniel. q. 5.

Cas. Baron.
Benedict.
Perer.

Secūdo ex dictis principiis colligitur, quo mense, & die natus est Christus. Clemens enim Alex. libr. 1. Stromat. versus finem refert quosdam hæreticos asseruisse Christum Dominum natum esse vigesimo, vel vigesimo primo die Aprilis: alios vero vigesima quinta die Maij, Epiphanius autē hæres. 51. dicit natum fuisse sexto die Ianuarij, quam sententiā tacito authoris nomine refert, ac reicit Hieronymus, P. zech. 1. in principio, dicens eo die manifestatū fuisse Christum, non natum, quanquā ipse non de sexto, sed de quinto die Ianuarij loquatur. De quo infra dicemus agentes de baptismo Christi, & Aegyptios eo die solitos fuisse celebrare natalem Domini diem refert Casia coll. ca. 1. & habetur etiā in præfatione, ad epist. Theophyl. Alexand. tom. 1. Bibli. & apud I. fid. lib. 1. Eccl. off. & insinuat Origen. hō. in diuersos.

Epiphani.

Hierony.

Casiam.

Theophyl.

Alex.

Isidor.

Origen.

Vera ergo sententiā est Christum natum esse vigesimo quinto die mensis Decembris, quæ satis probatur ex Ecclesiastica traditione, & festi celebritate, quā à temporibus Apostolorum eo die obseruatam esse constat ex Clemente, lib. 5. cōst. Apostol. cap. 12. alias 13. & ex Orosio, libr. 7. c. 2. Eadem est sententiā antiquorū Patrū, Euodij apud Niceph. lib. 2. Hist. c. 3. Chrysost. hō. 11. in Lucam, Aug. 4. de Trinita. c. 5. & in enarratione Psal. 132. paulo ante finem, Anastasij Episcopi Nicæni, libro quæst. in Scripturam. q. 92. Ratio autem ob quam Christus elegit eo mensis tempore nasci, moralis quidem, ac mystica multiplex assignatur à Patribus, qui notāt natum esse asperiori tempore hyemis id statim amplectens, quod carni laboriosius erat, & molestius. Bernard. hom. 3. de Natiui. Domini, natum etiam esse ait quando dies crescere incipiunt, quia Dei dispensatio in ipso crescebat, & Augustinus in dicto Psal. 132. & ferm. 18. de nati. Domini. Propria vero ratio est, quia facta conceptione vigesimo quinto die Martij, naturalis ordo postulabat, vt natiuitas in prædictū diem incideret.

Clem. Pap.

Oros.

Chrysost.

August.

Anastasi.

Nicæ.

Nicepho.

Bernard.

Natiuitas

Christi

mensis, &

dies,

August.

Sed quæres fortasse, quænam dies hebdomadę illa fuerit. Respondetur rem esse incertam. Quidam enim (vt Baronius supra refert) dixerunt natum esse feria sexta. Cæterum probabilius est natū fuisse die dominica. Id enim affirmat sexta Synodus c. 8. Idem tradit Niceph. 1. lib. Hist. c. 12. vbi de die Circuncisionis loquitur, sed in idem incidit. In eadem sententiā est Sophronius orat. de natali Christi, & Anton. 1. p. Hist. tt. 5. ca. 1. s. 2. sequitur Guliermus Duran. libr. 6. rationalis c. 13. & Dadraus in lib. de emendatione temporum, & in scholio super Euseb. li. 1. hist. c. 5. Et quidem, si Christus conceptus est feria sexta hebdomadę, necessario consequitur vt die Dominica fuerit natus. Cuius enim recte computati, facile patebit, si vigesima quinta dies Martij incidit in feriam sextā, necesse esse, vt dies vigesima quinta sequentis mensis Decembris sit dies dominica. Quod autem Christus incarnatus fuerit feria sexta hebdomadę, verisimile sit sententiis Patrum dicentium eodem die fuisse incarnatum & mortuū, vt videre licet in Augustino, & aliis supra citatis, & in Athanasio q. 17. ad Antiochum, vbi dicit Christum eodem die fuisse conceptum, quo Adam fuit creatus. Constat autem illum fuisse creatum feria sexta (vt notat Gaudētius tracta. 1. in Exodum) quia creatus est sexta die pridie ante sabbathum.

Dubium.

Responsio.

Baron.

Sexta Synod.

Nicephor.

Sophron.

Anton.

Guli Dur.

Dadraus.

Plat.

August.

Athanas.

Obiectio.

Dices, Sancti patres numerātes res admirādas, quę die dominica acciderunt, ponunt in illa resurrectionem Domini, non tamen Natiuitatem, vt videre licet in Leone epist. 81. ad Dioscorum, & Aug. ser. 154. de temp. Respondeo ex auctoritate negatiua non sumi efficax argumentum, potuerunt igitur sancti hoc

Leo Papa.

Augustin.

Responsio.

hoc

hoc omittere, vel quia erat incertum, vel quia illis in mentem non venit.

Anast.
Nicen.
Anast.
Synai.
Istib.
Baron.

Luc. 2.
Natalis
Christi ho-
ra.

Pap.
Damasc.
Telepho.

Caietan.

Sep. 18.

Platin.

Vltimo tadem inquiri potest de hora huius natiuitatis. Anast. enim Nicen. loco citato dixit natum esse hora septima diei; Anast. vero Sinaita libr. 7. Hexamer. dicit natum fuisse ad vespertam, Illichius autem (vt refert Baronius) scripsit natum fuisse hora tertia diei. Non citat autem locum, neque explicat, de qua hora tertia intelligat, quia si loquatur de hora tertia vespertina fere coincidit cum præcedenti, & est improbabilis sententia: si autem de matutina (licet incerta sit) tamen propinquior est veritati. Dicendum est ergo Christum natum esse post duodecimam horam noctis illius, quæ fuit naturalis diei initium, antequam artificialis dies inchoaretur. Hoc colligitur ex Euangelio adiuncta Ecclesiæ traditione: ex Lucæ enim. 2. ca. non obscure colligitur Christum noctu natum esse in illis verbis, peperit filium suum primogenitum, si adiungantur alia. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigiliis noctis super gregem suum. Et hinc orta est Ecclesiastica traditio celebrandi sacram noctem illam, & sacrificium in ea offerendi ex decreto Thelephori Papæ in sua epist. decretali c. 2. Quod notauit etiam Damascus Papa in Ponticali, in vita Telephori. Quod vero post mediam noctem Christus natus sit, necessario dicendum est (vt refert Caietan. Luc. 2. notauit) vt Christi natiuitas ad diem sequentem pertineat. Nam si natus esset ante mediam noctem, potius dicendus esset natus vigesima quarta, quam vigesima quinta Decembris die. Neque enim dici potest, quod fuerit natus nocte sequenti, in qua vigesimus quintus dies terminatur, nam Ecclesiastica traditio docet contrarium: illa enim nox, in qua dies vigesimus quintus inchoatur, sacra, & solemniss in vniuersa Ecclesia habetur. Et confirmari hoc potest à contrario. Nam quamuis Christus Dominus Eucharistiæ Sacramentum instituerit in ea parte noctis feria quinta, quæ ad exitum, & finem illius diei tendebat: tamen quia ante mediam noctem illud mysterium perfecit, eius celebritas in feriam quintam, non vero in sextam refertur. At festum Resurrectionis diei Dominicæ tribuitur, quia licet Resurrectio fortasse noctu facta sit, tamen post mediam noctem, inchoante iam naturali die Dominicæ perfecta est. Idem ergo iudicium est de die, & hora Natiuitatis. De illis autem horis, quæ sunt à media nocte vsq; ad initium lucis, nihil certi affirmari potest: quod autem aliquis crediderit natiuitatem hanc immediatius mediæ nocti iam elapsæ contigisse, eo (vt existimo) minus à vero aberrabit. Ita enim sentire videtur Ecclesia, quæ ad hanc natiuitatem accommodat verba illa Sapient. 18. Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens cælo à regalibus sedibus venit. Et Platina in vita Telephori, refert ex institutione ipsius primam missam natalis Domini circa mediam noctem celebrandam esse: quod etiam nunc seruat consuetudo.

QVÆSTIO XXXVI.

De manifestatione Christi nati, in octo articulos diuisa.

De quare Doctores tractant, Matth. 2. & Luc. 2.



Deinde considerandum est de manifestatione Christi nati.

Et circa hoc queruntur octo.

Primo vt natiuitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.

Secundo, vt debuerit aliquibus manifestari.

Tertio, quibus manifestari debuerit.

Quarto, vt debuerit ipse se manifestare, vel potius manifestari per alios.

Quinto, per quæ alia manifestari debuerit.

Sexto, de ordine manifestationum.

Septimo, de stella per quam manifestata fuit eius natiuitas.

Octauo, de veneratione Magorum, qui per stellam Christi natiuitatem cognouerunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum natiuitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.



D primum sic proceditur. Videtur, quod Christi natiuitas debuerit esse omnibus manifesta. Impletio enim promissioni debet respondere. Sed de promissione aduentus Christi dicitur in Psalm. 49.

Deus manifeste venit. Venit autem per carnis natiuitatem: ergo videtur, quod eius natiuitas debuerit esse toti mundo manifesta.

2. Præterea. Prima ad Timoth. 1. dicitur, Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere. Sed hoc non sit, nisi in quantum eis gratia Christi manifestatur, secundum illud Tit. 2. Apparuit gratia Dei, & Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrie, & pie, & iuste viuamus in hoc seculo. Ergo videtur, quod Christi natiuitas debuerit esse omnibus manifesta.

3. Præterea. Deus super omnia pronior est ad miserendum, secundum illud Ps. 144. Misericordias eius super omnia opera eius. Sed in secundo aduentu, quo iniustitias iudicabit, veniet omnibus manifestus: secundum illud Mat. 24. Sicut fulgor exit ab Oriente, & pariet vsq; in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Ergo multo magis primus aduentus, qui natus est in mundo secundum carnem, debuit esse omnibus manifestus.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 45. Vere tu es Deus absconditus, sanctus Israel saluator. Et Isa. 53. Quasi absconditus est vultus eius, & despectus.

Respondeo dicendum, quod natiuitas Christi non debuit esse communiter omnibus manifesta. Primo quidem: quia per hoc impedita fuisset humana redemptio, quæ per crucem eius peracta est. Quia vt dicitur prima ad Cor. 3. Si cognouissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent.

Secundo, quia hoc diminuisset meritum fidei, per quod venerat homines iustificare: secundum illud Rom. 3. Iustitia Dei, per fidem Iesu Christi. Si enim manifestis indicijs Christo nascente, eius natiuitas omnibus appareret, iam tolleretur ratio fidei: quæ est argumentum non apparentium, vt dicitur Hebr. 11. Tertio quia per hoc venisset in dubium veritas humanitatis ipsius. Vnde Aug. dicit in 1. pist. la ad Volusianum, Si natiuitas nullas ex paruulo in iuuentutem mutaret aetates, nullos cibos remore annulos caperet somnos: nonne opinionem confirmaret erroris, & nec hominem verum villo modo suscepisse crederetur, & dum omnia mirabiliter facit auferret, quod misericorditer fecit.

Ad primum ergo dicendum, quod authoritas illa intelligitur de aduentu Christi ad iudicium, secundum quod glossa ibidem exponit.

Ad secundum dicendum, quod de gratia Dei saluatoris erit dicendi erant omnes homines ad salutem, non in principio natiuitatis eius: sed postea tempore procedente, postquam operatus est salutem in medio terra. Vnde post passionem, & resurrectionem suam dicit discipulis suis, Mat. vltimo. Euntes docete omnes Gentes.

Ad tertium dicendum, quod ad iudicium requiritur, quod authoritas iudicis cognoscatur: & propter hoc oportet, quod aduentus Christi ad iudicium sit manifestus. Sed primus aduentus fuit ad omnium salutem, quæ est per fidem, quæ quidem est de non apparentibus, & ideo primus Christi aduentus debuit esse occultus.